

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Programma De Angelorum Cultu Festo Michaelis  
Archangeli In Academia Julia P. P. A. MDCCXXXI**

**Schnorr, Paul Dietrich**

**Helmstadii, [MDCCXXXI?]**

**VD18 13452487**

Farbkarte

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17277**



# PRORECTOR ET SENATVS ACADEMIAE

CIVIBVS SVIS



Evertitur jam propitio Numine fe-  
stum Michaeli dicatum, quo ange-  
lorum, coelestium spirituum memo-  
riam pie ac merito celebramus. Et-  
si enim non exacte constet, quo post  
Christum natum anno ecclesia hunc  
diem primum feriatum habuerit, se-  
culo tamen quinto a piorum coetu  
celebrari coepisse novimus. Cum-  
que illud propterea institutum sit,

ut illo quotannis revertente cum praestantem angelorum  
excellentiam, tum ingentia, quae nobis exhibent, benefi-  
cia consideremus, Deoque pro iisdem gratias agamus, pu-  
rior ecclesia, cum instituta reformatione superstitiones ab  
aula Romana in Ecclesiam invecetas exploderet, et festorum  
numerum nimis adauctum imminueret, hoc non abrogan-  
dum, sed ea, qua decet, religiositate et pietate celebrandum  
esse existimavit. Et est sane sanctissimorum horum genio-  
rum maxima, qua nos prosequuntur benevolentia, tener-  
rimusque amor, quem eo ipso declarant, quod non solum  
quemcunque nostrum a primo ortu observent, custodiant  
et a Satanae fraudibus immunem praestent, sed etiam a to-  
ta, qua patet, christiana ecclesia ejusque statibus, ecclesiasti-  
co, politico et domestico, infernalium copiarum insultus  
depellant, calamitatesque iis intentatas mascule averrun-  
cent: contra vero horum salutem et incolumitatem sedu-  
lo procurent. Quid? quod animas piorum a corporibus  
suis

